



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. II. Vtrum locus ille, Oculus non vidit, &c. Isaïæ 64. de Incarnatione
an de futura beatitudine sit intelligendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

tiam, & gubernationem minimarum rerum. Contra verò Christiani philosophi rectè & sine errore de Deo philosophati, harum veritatum demonstrationem sunt consecuti, nempe adiuti lumine fidei, reuelatione diuina, & bona parentum educatione. Ex quibus constat falsam esse prædictam Caietani sententiam.

Obiectio eius solutio. Quod si aliquis dicat, veritates naturales esse accommodatas nostro intellectui, ac proinde non indigere diuina reuelatione, vt intelligantur: respondeo, nostrum intellectum in natura lapsa, & in pura natura, non posse consequi omnem etiam naturalem veritatem propter sensuum corruptionem, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam.

15. Sup. 9. Et terrenam habitationem deprimit sensum multa cogitantem, Sapientia 9. vt autem aliqua veritas dicatur naturalis, vel naturaliter intelligibilis, satis est, si ab Angelis, vel ab anima separata, vel ab integra natura possit cognosci. Est etiam aliud impedimentum, ne possit homo, insignis etiam ingenij, assequi omnem veritatem naturalem de Deo; scilicet, mala dispositio affectus, & voluntatis ex peccato. Licet enim in demonstrationibus necessariis non sit affectus voluntatis, & bona illius dispositio, vt apprehensis propositionibus statim homo eo ipso assensum præbeat iis rebus, quæ notissimæ sunt, & quæ nullo modo ad pietatem pertinent, quales sunt mathematicæ: in iis tamen, quæ ad pietatem spectant, vel necessariae sunt, quales sunt de vnitatem Dei, de illius scientia, & providentia, etiam si demonstrationes intra propriam mensuram habeantur, necessarius est pius affectus. Cum enim res sint à sensu remotissimæ, & inde sequantur aliqua, quæ sensui, & appetitui hominis non placent; contingit multis, vt propter prauam ipsorum dispositionem, etiam si illis demonstrationes proponas, non assentiantur. In iis ergo plurimum confert affectus bonus, non quidem, vt visa extremorum conformitate, assentiatur intellectus, quia in ea visione iam est assensus; sed vt illam propositionem tali modo interiorius apprehendat, & formet, vt faciat apparere eam extremorum conformitatem: quod non requireretur in mathematicis euidentissimis, & in aliis huiusmodi.

16. Superest tamen vt explicemus, quid velit S. Thomas, cum, inquit in hoc art. necessariam esse doctrinam sacram, vt hominibus certius, & conuenientius proueniat salus: quibus verbis videtur solam vtilitatem, non necessitatem huius doctrinae sacræ, seu reuelationis indicare. Respondeo igitur, aut eo modo loquendi vsum fuisse. S. Thomam non sensu comparatiuo, quasi sine hac reuelatione, & sacra doctrina posset etiam esse alia scientia sufficiens; sed sensu positivo, quasi diceret; vt certo, & conuenienter salus homini contingeret, hæc scientia necessaria fuit: aut si comparatiue locutus est, comparatio non refertur ad modum minus conuenientem, & certum, qui sine hac sacra doctrina haberi posset, sed sensus est, siue illa nullo modo haberi posse salutem, quia deficeret certa notitia naturalis, quæ etiam ad salutem requiritur, ideoque dicitur conuenientius haberi per reuelationem. Melius enim comparatiue, aliquando refertur ad malum, & comparatio aliquando fit cum eo, quod non participat eandem formam. Quod verò dicit, à notitia istarum veritatum naturalium pendere nostram salutem, sic est accipiendum, non quod ea sit sufficiens ad salutem,

sed quia duntaxat sit necessaria. Cum enim ad salutem sit necessaria fides supernaturalium veritatum, & hæc necessario supponat naturalium etiam cognitionem, vt quod sit Deus, quod sit vnus, quod prouidentiam habeat; consequitur, ipsam naturalium veritatum cognitionem necessariam etiam esse ad salutem, ac proinde ab ea dependere iustificationem, & hominis salutem.

Quod si aliquis probare velit hanc solam notitiam naturalium veritatum sufficere ad salutem, quia ad Romanos 1. Paulus reprehendit philosophos, qui, cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt. Respondeo inde solum probari, eam notitiam satis fuisse, vt illis ad culpam imputaretur, non coluisse Deum, non vt illa solum iustificari possent. Sed de hac re latius 2. quæst. 2. art. 3. & 7. Qualiter verò si Gentiles philosophi viderentur bene notitia illa naturali, Deus vltimius alia mysteria reuelaret, vt iustificarentur, dicemus etiam in eo articulo, & infra disput. 97. cap. 5. Quæ autem Caietanus notauit in hoc articulo circa solutionem argumentorum facilia sanè sunt, atque ideo vtilius duxi prætermittenda.

DISPUTATIO II.

Vtrum locus ille, *Oculus non vidit*, &c. Isaia 64. de Incarnatione, an de futura beatitudine sit intelligendus.

Quidam prædictum locum de Incarnationis mysterio interpretantur, cap. 1.

Eundem locum Isaia de bonis alterius vite intelligendum, verior sententia est, cap. 2.

Eodem sensu allegari à Paulo locum Isaia. cap. 3, Digressio in locum Pauli, Spiritualis autem iudicat omnia, cap. 4.

CAPVT I.

Quidam prædictum locum de Incarnationis mysterio interpretantur.

Non eodem modo Scriptores intelligunt locum Isaia, quem affert S. Thomas in hoc articulo, ad probandum finem nostrum esse supernaturalem, qui ratione naturali inuestigari non possit. Nonnulli de mysterio Incarnationis exponunt, & primo id probant, quia in hunc sensum videtur illud dixisse Isaia cap. 64. vbi ex professo de ipso Incarnationis mysterio loquens, incipit his verbis, *Vtinam dirumperes celos & descenderes*. Quibus prosequitur id, quod in præcedentibus tractare coeperat. Quæ omnia Hieronymus de aduentu Messia interpretatur. Cum ergo post pauca subiungit, *A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus, absque te, quæ preparasti expectantibus te*. De eodem mysterio intelligendum est, quod nec oculus vnquam vidit, nec auribus perceptum fuit, saltem ab omnibus; sed à paucis, quibus Deus spiritu suo reuelare dignatus est. In eundem modum videtur etiam sententiam hanc Isaia, mutatis solum verbis, recitasse Paulus 1. ad Corinth. 2. Vbi postquam locutus est de mysterio crucis, & incarnationis (quod appellauit sapientiam in mysterio, quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent) proxime subdit, *Sed sicut scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auribus audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus*

Explicatur locus Pauli ad Rom. 1.

Propositur dubium ex S. Thom.

Responso auctoris.

S. Thom.

Rom. 1.

Deus *is qui diligit illum*. De illa ergo sapientia abscondita, quam dixit huius seculi principes ignorasse, videtur dixisse, *Oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. quam*, scilicet Christum, si cognovissent principes, nunquam ipsum gloria Dominum crucifixissent. Quocirca Ambrosius in eum locum Pauli, nec non Hieronymus, Theophilact. & Oecumenius ibidem, sententiam illam Isaie de Christo ipso intelligunt. Quos inter alios recentiores sequuntur Adamus in illud caput Isaie, & Leo de Castro ibidem, quoniam hic aliam etiam interpretationem simul admittit illius loci, secutus Marium Victorinum lib. 1. adversus Arrium, ut intelligatur de bonis felicitatis eternae, & de mysterio Incarnationis simul, atque ita duplex in eo sit sensus literalis.

CAPUT II.

Eundem locum Isaie de bonis alterius vite intelligendum esse verior sententia est.

Ergo verò censo, iuxta communem patrum sententiam germanum illius loci sensum, & literalem vnicum esse, quem Paulus secutus est 1. ad Corinth. 2. de bonis tantum beatitudinis, quæ Deus in alia vita præparavit diligentibus ipsum. Quod enim Isaías dixit, *Expectantibus te*, interpretatus est Paulus, *is, qui diligit illum*. In hunc sensum intelligunt testimonium Isaie, & Pauli (quod idem est) Dionysius in contemplatione cap. 12. de cœlesti Hierarchia, Hieronymus, Haimo in illud caput Isaie, Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus in eum locum Pauli, & ibidem Beda, qui ex duobus locis, quædam congerit fragmenta Augustini in hanc sententiam. Permulti etiam alij variis in locis, Tertullianus lib. de resurrectione carnis c. 26. num. 2. Cyprianus epist. 56. alias lib. 4. epist. 6. & in præfatione ad librum de virtutibus cardinalibus Christi, Marcus Eremita lib. de Paradiso, & lege Dei: habetur in 3. tom. Biblioth. sacræ S. Patianus in Patenese ad penitentiam: in fine, quæ habetur 1. tom. Bibliot. Theophilus Antiochenus lib. 1. in fine, habetur in 5. tomo, Arnoldus Abbas tractatu de Laudibus Mariæ in fine, habetur in 6. tom. Hieronymus in epist. 148. ad Marcel. Ambrosius in secunda prædicatione præparationis ad missam, in fine. Idem habetur in missa S. Iacobi post consecrationem calicis, quæ est 4. tom. Bibliot. Auctor meditationum apud Augustinum lib. 2. cap. 18. & Auctor de triplici habitaculo apud eundem Augustinum cap. 1. Id verò facile ex contextu Isaie probari poterit.

Imprimis autem sine fundamento dicitur, ibi argumentari Scripturam à mysterio Incarnationis ad cœlestia præmia. Neque enim verba ipsius Isaie, aut Pauli talem argumentandi modum indicant, sed simpliciter dicitur, *Oculus non vidit, &c.* Aut ergo de vno, aut de alio mysterio intelligi debent, etiam si quæ de vno iuxta litteram dicuntur, de alio per accommodationem dici possint, de quo modò non est controuersia. Ceterum de mysterio Incarnationis prædictum locum non intelligi, ex verbis Isaie perspicuum est. postquam enim dixit, *Quia preparasti expectantibus te*, Quod interpretatus Paulus, dixit, *is, qui diligit illum*, Id ipsum explicans magis idem Isaías subiungit: *Occurristi latenti, & scienti iustitiam*, hoc est, cum lætitia spiritali bene operanti. At si de Christi Incarnatione sermo esset, non diceret, *Occurristi sa-*

cienti iustitiam. Sed sicut idem Isaías dixit c. 9. Popu-
lus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est. Et capite 65 ad Roman. 10. Inuentus sum à non querentibus me; palam apparui is, qui me non interrogabant. Quoniam enim Christus corporaliter in carne videndus apparere dignatus sit iustis, & expectantibus redemptionem Israël, Simeoni videlicet, Annæ, & aliis: fructus tamen redemptionis, in quo præcipue mysterium illius est, non contigit nisi iniustis, & non expectantibus. Prima enim gratia, unde incipit fructus iste, non datur bene laborantibus, neque expectantibus, neque querentibus, ut definitur in Concilio Arausico no. 2. canone 4. 5. & 6. ubi adducitur illud Isaie 65. & ad Roman. 10. Sed sedentibus in tenebris, & umbrae mortis, non querentibus, nec expectantibus. Cum ergo dicit, *Occurristi scienti iustitiam*, iam intelligit de præmio bonorum operum, de quo præmio iam dixerat, *Oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.* non autem de mysterio Incarnationis, siquidem fructus illius non occurrit facienti iustitiam, sed contra, sedentibus in tenebris. Casum autem illam datium, *Facienti iustitiam*, vel *is qui diligit illum*, significare causam, probabitur infra disputatione 89. cap. 2. atque ex eodem testimonio confirmabimus sententiam, quæ dicit, electionem ad gloriam factam esse ex meritis.

Neque obest, quod Isaías loquatur in eo capite de mysterio Incarnationis, & Christum inuocet, cum ait, *Vinum dirumperes celos, & descenderes, &c.* Nam postquam subiunxit, *A facie tua montes destuerent, & iterum, Vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, &c.* subinde admirans adiunxit bona, quæ amicis suis præparauit, illis verbis: *A seculo non audierunt, nec auribus perceperunt, &c.* Mitto expositio-
nem Cyrilli, & aliquorum recentiorum, qui hoc modo explicanti mundi constitutione neque audiuimus, neque vidimus talem Deum, præter te, & quidem solum: expectantibus enim te largiter misericordiam impartiris. Nam hi auctores aliter Hebræum transferunt, quam Vulgata, & Paulus: Editio vul-
legunt enim: *Neque oculi nostri viderunt Deum, absque te*. Vulgata verò, & Paulus Deum ponunt in casu vocandi, *Deus, absque te*.

CAPUT III.

Eodem sensu allegari à Paulo locum Isaie.

Quod vero attinet ad sensum, in quo Paulus præstitit testimonium Isaie, posset aliquis contendere, de mysterio crucis, seu Incarnationis illud intellexisse, de quo in eo capite loquebatur. Inquit enim, *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est; quam prædestinavit Deus ante secula in gloriam nostram; quam nemo principum huius seculi cognouit, si enim cognovissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent, sed scriptum est, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.* De ea igitur sapientia, quam dicit ignorasse principes huius seculi, videtur interpretari locum Isaie, *Oculus non vidit, &c.* Scinde probet eam fuisse absconditam, & ignotam principibus. Contextus quidem Pauli difficilis est: præsertim vero, si illud, *Quam nemo principum huius seculi*, referatur ad absconditam sapientiam crucis, quam Paulus prædicabat, ut referunt Chrysost. & ceteri Græci: Ambrosius, & Anselmus in eum locum Pauli, & Athanasius

A 4 in lib.

Digressio in locum Pauli, Spiritualis autem indicat omnia.

in lib. de Incarnatione Verbi prope finem, qui non legit *quam*, sed *quem*, aliter quam est in Græco, & Latino textu. Sic enim nihil aliud videtur Paulus testimonio Isaie probare, quam Christum quem appellat absconditam sapientiam, non fuisse cognitum huius mundi principibus, ideoque ab eis fuisse crucifixum. Quem sensum maxime confirmant verba illa Pauli, *si enim cognouissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent*. Quali dicat si cognouissent hanc sapientiam, hoc est, Christum, nunquam ipsum, qui est Dominus glorie, crucifixissent. Augetur etiam difficultas in contextu verborum Pauli; ex particula aduersatiua. Sed, quam pauci Expositores vrgent, imo ferè omnes prætermittunt, quia addita, si verba illa, *Oculus non vidit*, intelligenda sunt de æterna beatitudine, ut plures intelligunt, quos iam citauimus, vix cum præcedentibus coherere possunt: imo etiam si non addatur particula, contextus difficilis manet. Multo autem facilius videtur, si Paulus verba Isaie intelligat de Christo, & mysterio ipsius; sic enim cum aduersatiua contextus facile, etiam ordinari potest hunc in modum: si enim eum cognouissent, nunquam ipsum crucifixissent, sed, sicut scriptum est, *Oculus non vidit*, &c. ac si diceret, sed quia non cognouerunt, sicut scriptum est, ipsum morte damnarunt.

His tamen non obstantibus, mihi videtur Paulus citasse verba Isaie in eundem sensum, quem ex communi Patrum interpretatione adduximus: intelligens videlicet verba illa, *Oculus non vidit*, &c. non de mysterio Incarnationis, & sapientia abscondita crucis, sed de gloria alterius vitæ, & felicitatis eternæ: & contextum Pauli, etiam cum particula Sed, optime constare: ita tamen, ut illud, *Quam nemo principum huius seculi*, &c. referatur non ad sapientiam absconditam in mysterio, sed ad gloriam nostram, ad quam, & secundum Latinam, & Græcam lectionem, optime referri potest. *Litera* verò, & sensus sic ordinandus est, loquimur sapientiam, scilicet crucis, quam prædestinavit Deus ante seculum gloriam nostram, quam gloriam eternam scilicet beatitudinem, Nemo principum huius seculi cognouit: si enim (supple eam gloriam) cognouissent, qualiter scilicet a Deo nobis præparata esset, nunquam Dominum, ipsum, gloriam, scilicet Christum, cuius merito nobis præparata est crucifixissent. Sed, sicut scriptum est, de ea nempe gloria, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit*, &c. ipsi eam non cognouerunt: subiungit verò statim. *Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum*. Gagneus conatur textum aliter disponere intelligendo testimonium Isaie de Christo, & sapientia abscondita, & referendo illud, *Quam*, non ad gloriam, sed ad sapientiam absconditam. Sed difficilior, & durior est paraphrasis. Mihi verò, ut dixi, sensus propositus magis placet, quod satis probatum sit ex patrum sententia, Isaia non de Christo, sed de gloria beatitudinis verba illa dixisse. Quocirca consequenter Paulus in eundem sensum, textum Isaie usurpare debuit. Deinde quod paulus dixit, *Nunquam Dominum glorie crucifixissent*, indicat particulam illam, *Quam*, referri non ad sapientiam, sed ad gloriam, quam replicando, optime infert, cum inquit, quam gloriam si cognouissent, nunquam ipsum gloriam Dominum crucifixissent.

Sed dubitauit aliquis, quomodo intelligitur quod subiunxit Paulus post citata verba, *Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum*, *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. si veram est, quod oculus, non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c. De eisdem enim mysteriis inquit Paulus, *Nobis autem reuelauit Deus*. Questionem hanc proposuit Marcella Hieronymo, & ipse responderet in epistola 148. ad ipsam, non debere nos quaerere, quid sit illud, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. Si enim (inquit) ignoratur, quomodo sciri potest? Unde hoc sensu Apostolus dixisse credendus est, quod carnalibus oculis, & aure carnali, & cogitatione mortali non possunt spiritualia comprehendere; quodque reuelatum sit, & sanctis per spiritum esse testatur, non statim sequitur, ut ipse aliis reuelauerit, alioquin audiuit & in paradiso verba ineffabilia, quæ aliis narrare non poterat, aut si narrauit, nequaquam ineffabilia sunt. Hæc Hieronymus. Quibus docet, ea quæ sunt in beatitudine futura, reuelata quidem fuisse Paulo, & aliis Sanctis, illustratione aliqua peculiari, sed quam nec explicare ipsi possent, ut ea mysteria aure perciperetur corporea; nec ostendere, ut oculo corruptibili viderentur.

Magis tamen congruere videtur Apostoli textui; si dicamus, reuelationem illam non esse communem quidem omnibus fidelibus, sed spiritualibus duntaxat, & adultis, non paruulis in fide Christi, quod soli adulti ea percipere possint. Hos verò significat, cum inquit, *Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum*. Propterea enim subdit, *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Spiritualis autem indicat omnia. Hæc in eo cap. 2. In 3. 1. ad Cor. 3. vero statim sic incipit, *Et ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis? gratiam.

&c. Ait ergo Paulus, ea, quæ huius seculi principes ignorarunt, reuelata fuisse spiritualibus; eo etiam modo, ut & ipsi illa effari possent, non carnalibus, sed spiritualibus. Non ergo, ut putauit Hieronymus, Paulo ita hæc reuelata fuerunt, ut ipse non posset aliis reuelare: sed ut verè posset etiam aliis intelligenda proponere, qui tamen verè spirituales essent. Corinthiis verò dixit, ea nondum explicasse, quia adhuc carnales erant, hoc est, carnis passionibus feruientes.

Nobis igitur placet interpretatio Chrysostomi, Marci Eremitæ, & Anselmi locis citatis, quæ optime difficultati propositæ responderi potest, videlicet, cum Paulus dicit ex Isaia, *Oculus non vidit, nec auris audiuit*, &c. de vniuersa hominum natura considerata ex propria ipsius virtute loqui. Nam si Prophetæ, & Apostoli audierunt; non tanquam homines, sed tanquam Prophetæ, & Apostoli audierunt, hoc est, spiritu Dei illustrati. Quare, quod principes huius seculi, proprio studio atque virtute non cognouerunt, nec audierunt, imo

Litera Pauli ordinatur.

Gagneus.

8.

9.

10.

Chrysost. Marc. Eremit. Anselm.

nec cogitauerunt: spiritualibus, Prophetis nimirum, Apostolis, & aliis etiam reuelatum est. Cum vero Paulus, & Isaias dicunt, *Oculus non vidit, nec auris audiuit*, non tantum negant proprium, & quidditatum conceptum illarum rerum, qui posset intelligi illis verbis, *Oculus non vidit*, sed quemcumque alium, qui intelligi posset, cum dicit, *Nec auris audiuit*. Homines enim sua virtute de bonis illius eternae felicitatis ne hunc quidem assequi potuerunt. Cum autem subiungit, *Nobis autem reuelauit Deus*, intelligit conceptum, qui viatoribus sub velamine fidei potest conuenire.

Ex omnibus, quae diximus, colligere licet, quam recte S. Thomas probe, necessarium esse doctrinam sacram, ad habendam veram cognitionem finis nostri, qui nos in alia vita manet. Ex testimonio namque Isaiæ, & Pauli constat, finem nostrum, scilicet bonam, quae praeparauit nobis Dominus, non solum non posse oculis corporeis videri, neque aliquo humano verbo exprimi, sed etiam sola illustratione diuina cognosci. inde ergo recte probatur, finem nostrum esse supernaturalem. Dico autem supernaturalem, non quia ipse possessio sit supernaturalis secundum suam substantiam, & naturam: hoc enim in quaestione positum est cum Scoto, ut supra notauimus, & suo loco disputandum est, sed dico supernaturalem, quia illius notitia, nec ratione, aut studio humano, neque angelico, sed sola Dei reuelatione haberi potest. Quare merito requiritur sacra aliqua disciplina, Dei reuelatione comparata, ad dicendum ea, quae oculus non vidit, nec auris audiuit. Quae quoniam non tam recte à fidelibus, qui adhuc carnales sunt, percipi possunt, quàm à spiritualibus, quibus ita reuelat Deus ut dono intellectus, illa peripicacius penetrent, & plura de eodem mysterio intelligant: ipsis tamen carnalibus eadem, fidei reuelatione, etiam nota, minus tamen perfecte, esse possunt.

DISPUTATIO III.

De utilitate, & methodo Theologiae scholasticae.

*Haeretici vituperant Theologiam scholasticam. cap. 1.
Utilitas Theologiae scholasticae contra haereticos defenditur cap. 2.*

Prima obiectio haereticorum. cap. 3.

Secunda obiectio. cap. 4.

Tertia obiectio. cap. 5.

Quarta obiectio. cap. 6.

CAPVT I.

Haeretici vituperant Theologiam scholasticam.

HAecenus de necessitate huius doctrinae disputauimus, superest, ut de utilitate ipsius, praesertim ut à tempore Magistrum sententiarum ordine scholastico tradita est, aliquid dicamus. Difficultas enim non est de sacra doctrina secundum se, quatenus ex fidei principiis colligit certas conclusiones: hac enim, sacra Concilia, & antiqui Patres magno cum fructu vti sunt: sed de ea, quam scholasticam appellamus, quae à tempore Magistrum in vnius disciplinae, & doctrinae methodum redacta est. Hanc ergo, Tractatores illius, modumque disputandi, & examinandi quaestiones haereticorum nostri temporis vehementer insimulant. Lutherus in libro aduersus Iacobum Latomum di-

cit Theologiam scholasticam nihil aliud esse, quàm ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam, quam praecauit Apostolus ad Colossenses 2. Eandem etiam insectatur in libro de abroganda missa priuata. Et Philippus Melancthon in Apologia contra Parisienses inquit, Lutetiae natam esse Scholasticam, eaque Euangelium obscuratum, & fidem extinctam. Ex quo errore, tanquam ex fonte, reliquos horum haereticorum manasse putauit Canus. Nam contempto scholae iudicio, necesse erat, Hieronymum, aliosque Patres, & paulatim sacra Concilia, atque Pontificum decreta negligere. Ex quo factum est, ut nullum firmum nostrae fidei fundamentum penes eos manserit, sed in ipsorum arbitrio vniuersa fidei definitio, & doctrina fuerit collocata. Ego vero potius arbitror ex deprauatis ipsorum moribus, eorum errores originem traxisse, Lutherus enim ambitionis, & superbiae spiritui accensus, contemnere cepit Romanum Pontificem, eius potestatem, & decreta: cumque nullus esset praeter scholasticos doctores, qui eo tempore ipsius temeritati resisteret, ut mordicus suos retineret errores, necesse illi fuit scholasticam doctrinam contemnere, & exsibilare.

CAPVT II.

Utilitas Theologiae scholasticae contra haereticos defenditur.

Ceterum quod ad ipsam doctrinam scholasticam spectat, negare nemo potest maximam illius utilitatem in methodo, & modo disputandi, atque examinandi quaestiones, ut à tempore Petri Lombardi in scholis habemus. Quamuis enim alij ante ipsum, ut Damascenus, & Anselmus, ordine non multum ab scholastico diuerso aliqua tractauerint: ipse tamen Petrus omnium primus vniuersam sacram doctrinam in methodum reduxit, ob idque Magistrum nomen iure optimo meritis est. Qui vero postea secuti sunt, ut Alexander, Albertus, S. Thomas, & reliqui, licet ordinem mutauerint tractandi quaestiones: modum tamen scholasticum differendi, qui nunc est in usu, retinuerunt, & locupletauerunt. Porro utilitas huius doctrinae primum quidem ex eo colligitur, quod pondere rationum, & disputationum, vel ex sacra Scriptura, vel ex Concilijs, vel ex antiqua Patrum traditione, frequenter etiam ex ipsarum rerum natura petitarum, verum à falso secernitur, & quod non est tam certum, sed vtrique probabile, non tanquam certum fidei dogma, sed ut probabile traditur. Secundo mysteria fidei nostrae, & quae ex illis deduci possunt, certo quodam ordine, & methodo disciplinae disposita, facilius addiscuntur, & memoria retinentur. Postremo denique quantum ipsa scholastica disciplina, & Doctores illius ad tuendam fidem Catholicam in Ecclesia profuerint, vel vna Parisiensis scholae ceterarum mater, huius temporibus nobis argumento esse poterit: quae inter tot haeresum procellas, ciuitatem illam, & maximam Galliarum partem seruauit incolam. Et tandem anno 1590. in illius ciuitatis Obsidione contra haereticum Biarnensem Parisios obsidentem, ita ciuitatem in fide confirmauit, ut dira fame, & nunquam audita omnes mallent mori, quam haereticum in Regem admittere. Cumque ab aliquibus Dynastis plebs induceretur, ut se potius dederet, quam famae

Ad Coloss. 2.

Philip. Melanct.

Canus.

2.

Petr. Lomb. Damasc. Anselm.

Alexand. Albert. S. Thom.

In methodo disputandi Theologiae quanta sit utilitas.

3.

Parisienſiū in obſidione Catholica conſtantia.